



1662/75 24 St.

FAVENTE SACROSANCTA TRIADE
Præscitu & permisso Magnifici Jctorum Or-
dinis in inçlyta Philurea

1675,20

[1665]

Disputationem Juridicam

DE

SALVO CON-
DUCTU

quem vulgò

Sicher Blat

nominamus
SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI ATQVE CONSULTISSIMI

DN.

PAULI FRANCISCI ROMANI

J. U. D. Patroni, Præceptoris, Hospitis ac Ever-
getæ sui æ viternum suspiciendi, devenerandi

Publicè sisset

JOHANN WILHELM Stolz/
Herbsleb. Author

&
RESPONDENS
Ad diem Octobr.

In Auditorio Jctorum Petrino.

L I P S I Æ,

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.



SERENISSIMI, GELSISSIMI QVE PRIN-
CIPIS AC DOMINI
DOMINI

JOHANNIS GEORGII
SECUNDI,

Ducis Saxonix, Julix, Clivix ac Montium, Sa-
cri Romani Imperii Archimarschalli ac Electoris, Land-
gravii Thuringix, Marchionis Misnix & utriusque Lufat-
ix, Burggravii Magdeburgensis, Comitis de Marca &
Ravensburg, Dynastæ in Ravenstein.

Domini nostri Clementissimi

CONSILIARIIS GRAVISSIMIS
VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQVE EX-
CELLENTISSIMIS

DN. PHILIPPO JUNGERO,
in Wolekwitz und Sturmthal

ET
DN. MATTHIÆ BEXIO,
Salinatori Hallensium primario

Dnn. Fautoribus, Patronis ac Mecænatibus suis
ut Optimis Maximis; ita certissimis, hoc quicquid est
exercitii disputatorii, eâ, quâ par est, animi
submissione

in nomine Domini Amen consecrat

AUTHOR



Jova Juva!

I.



Emini dubium est, SALVUM CONDUCTUM à salvus, & conducere venire deducendum. Quid enim aliud reis iste præstat, quàm ut salvos eos atq; incolumes adducat & reducat, seu, ut magis convenienter rem exprimerè sibi visus a) Premus, ut conductis omnia

salva sint ac tuta? ita enim est: Jcti velut alibi; ita etiam hîc *Scotiorum* ex rebus ipsis potius, quàm nativâ vocabulorum significatione denominationes deducunt, vestigia presserunt. Unde sæpius Metonomiis b) uti amant. Illud quidem largiendum nonnullis, minus fortassis Latinam esse hanc loquendi formulam: Verum quoniam fat commodè rem ipsam, quæ potius spectanda, exprimit, merito eam in usu c) juris retinemus.

2. De nominibus aliis, quibus SALVUM CONDUCTUM exprimerè solent Dd. non aded erimus solliciti. Neque enim hic omnia coacervari, interessè potest Lectoris. Adducam9 saltem potiora, quæq; ad rem præ aliis spectare videntur: *Bruchmannus* d) SALVUM CONDUCTUM liberum accessum, (sub quo & discessus comprehendi debet) appellat: *Fachineus* e) tranquillitatem: Alii f) assecuramentum: Alii fidem g) publicam dicunt: *Imperatori* h) placuit modo verbi, modo muniminis titulo eum insignire: Alii aliò, velut hoc satis ostenderunt ii, qui in hanc materiam aliquid sunt commentati.

3. Non tantùm autem SALVUS CONDUCTUS ad liberum accessum & discessum denotandum, sed sæpius etiam ad alia adhibetur. Nam, ut taceam significatus alios cùm *Historicis*, tum *Politicis* solennes, apparet id ipsum apud *Theologos*, quibus SALVUM CONDUCTUM significare reconciliationem hominis peccatoris cum Deo autor est i) *Austrelius*: apud *Jctros* verò denotat interdum comæatum. *vide sis* Dn. k) *Mevium*: interdum

a) de secur. prom. p. u. 8.

b) Vultej. ad pr. J. de testam. ord. n. ta

c) arg. l. 1. r. §. 2. ff. de J. D.

d) ad §. soluta potestas membr. 2. c. 4

e) ff. §. n. r.

f) Dn. Schütz disp. de secur. th. 3.

g) Prem. d. tr. in præf. per Ed. Just. 10. c. 1. & Edict. 13. c. 10. h) Nov. 17. c. 6. Nov. 17. c. f. §. 1. in med. fer.

i) rr. de Justific. c. 8. n. 9. & 10. k) ad Jus Lub. l. 1. c. 1. art. 11. n. 2. & seqq.

l) tit. r. §. 1.
 & 2.
 m) Prem. d. l.
 n) d. l. n. 26
 o) arg. c. 4.
 Genes. v. 15.

dum inviolabilitatem Ele&toribus, Principibus, aut eorum Legatis, si quando ad novum Imperatorem designandum eunt, vigore *Aurea Bullae* l), præstandam: interdum immunitatem & provisionem m) à metu periculi; quæ postrema significatio quàm proximè ad institutum nostrum accedit: His illud saltem adhuc addimus, quod *Dn. n) Mævius* eundem sæpius delicti gratiam denotare velit; quàmvis fortè melius iste actus dicatur aggratiatio o) & remissio: hæc enim in effectu demum SALVUM CONDUCTUM importat, quando ejusmodi aggratiatio, ceu loqui solent, omnimodam præstat securitatem, ubi à Principe p) facta fuerit.

4. Præmissis hæc ad definitionem rei jam accedimus. Deprehendimus autem hic itidem varias Dd, sententias, in quibus tamen examinandis nec chartam nec operam perdere mens est. Apparebit de facili ex dicendis, quid iudicii ferri debeat, aut possit de definitionibus istis, quæ à nostra recedunt. Erit autem hæc nostro instituto maximè commoda, si dicamus: quod SALVUM CONDUCTUS sit Legitimum præsidium magistratus, justè q) timenti pro aversione periculi, aut alterius offensionis datum.

p) l. 10. atq;
 ult. in fin. C.
 de sent. pass.
 q) arg. l. 184.
 ff. de R. J. l. 5.
 l. 6. l. 9. ff.
 quod met. j
 caus.
 r) l. 5. C. de
 his, qui ad
 Eccles.
 s) Nov. 17. c.
 5. 6. 7. Car. V.
 erim. art. 76.
 z) l. 29. pr. ff.
 qui & à quib.
 manum.
 u) l. 2. in f. ff.
 de in jus voc.
 z) part. r. tit.
 49. §. f. in pr.
 p. m. 79.

5. Legitimum autem dicimus præsidium Magistratus (compentis scilicet) quia secundum L. L. r) concessum sit oportet: Namque contra has erogari sinequit: summæ autem reputamus necessitatis, ut sit justum i. e. perfectum, pro perfectò enim aliquando accipitur t) justum. Et hæc pro hujus definitionis explanatione jam sufficiant; longiores enim in eâ ipsa esse nolimus, quod illa ex sequentibus sat lucis sit acceptura.

6. Qvò autem amplissima hæc SALVUM CONDUCTUS materia distinctior declaretur, in suas species & partes dividenda venit. Ac (1) quidem causa efficiens nobis alium facit *Legalem*: alium *Imperialem*: Ille est, qui ipso jure concessus omnibus pollicetur securitatem, qui se in jure sistere u) necesse habent, quorumq; ut comparere possint, interest. Exinde Ordinatio Cameralis z) omnibus securitatem promittit, atque ut Princeps eam factam testam servet, graviter monet, adeò, ut commune illud dicitur vor Ladung bringet Staat mis sich! inde collegerint: Ille

Iste enim citationis effectus debet esse primarius, ut quasi in dorso, ceu loquitur *a) Colerus*, securitatem apportet: *Hic* (scil. Imperialis) est, qui datur à Magistratu, ut reus prætenfa sua innocentiam telam pertexere queat.

7. Modus verò *alium* facit *expressum*, *alium tacitum*: Ille indolgetur reo Magistratus promissione, si ex solita prius inquisitione probabiliter constet, eum innocentiam suam esse probaturum: *Hic* verò reis obvenit, si quando aut nova nupta in Principis aulam deducitur bey Fürstl. Heimführung; quatenus tamen Princeps ob qualitatem delicti sine morsu conscientia & salutis dispendio eummittere potest: Aut Magistratus delinquentem toleret reversum; tunc enim ejusmodi patientia pro securitate habenda est.

8. Uterius *alium* est ad certum tempus *determinatus*, uti evincit formula concessionis: Wir geben dir auff 3. oder 6. Monat sicher Glait / binnen derselben deine gerühmete Vnschuld darzutun: *alium indeterminatus*: Wir geben dir ein frey sicher Glait / deine gerühmete Vnschuld darzutun und auszuführen. Olim quidem non erat *indeterminatus*, sed semper *determinatus*, ad triginta videlicet *b)* dies.

9. Befoldus *c)* *alium* scribit celebrari literis tractoriis, quas Glait. Zeddel nominare consuevimus, vulgo das schriftliche Glait: *alium* adjunctis militibus, qui dicitur das lebendige Glait communiter Salvaquardi.

10. Præterea Dd. *alium* dicunt *generalem*, qui citato per triduum ferè securitatem præstat, ut *primo die* comparere: *altero* in iudicio causam agere: *ultimo* iterum recedere possit, nisi dies iudicis spatium prolixus importet, quo casu SALVUSCONDUCTUS est extendendus *d)*. Habet autem *iste* locum, quando Iudex citato concedit SALVUMCONDUCTUM ad iudiciū accedendi, indeq; recedendi, das gemeine sichere Glait jedesmahls sicher zu und abzugehen; quum prius latitantem per officiales literis patentibus *e)* incarcerationis mit offenen Sect-Brieffen profectus fuerit: Iste enim in casu reo nocenti, etiam non peccanti, potius SALVUSCONDUCTUS concedendus, quam criminis coercitio *e)* prorsus intermittenda: *Alium specialem*, quan-

a) proc. execut. p. 4. §. 1. n. 236.

b) Nov. 17. §. 6. Cujac. ad. d. N. p. 558. b.

c) Thesaur. Pract. lit. G. verb. Glait.

d) Magnif. Dn. Carpz. Crim. p. 3. q. 112. n. 13.

e) M. Dn. Carpz. d. l. n. 34.

e) Magnif. Dn. Carpz. d. l. n. 35.

f) l. 25. ff. de
R. J. g) l. 1. §. 1
ff. de superfic.
§. 14. 7. de
obl. quæ ex
del. h) ex l.
2. ff. de cust.
reor. l. 33. §. 2.
ff. de procur.
i) l. 3. ff. de
cust. reor. l. 5.
ff. de pen. l.
33. §. 2. ff. de
procur.
k) l. 13. pr. ff.
ad L. A. l. 2.
C. de pen.
l) Per l. 4. ff.
de cust. reor.
M. Dn. Car-
proz. d. l. n.
120. m) l. 5.
ff. de pen.
n) Eandr.
lib. 2. art. 5.
o) Eandr.
lib. 1. art. 34
& 61.
p) Magnif.
Dn. Carpx.
d. l. n. 24.
q) l. 3. ff. de
Jurisd.

do citato plena conceditur securitas sub sigillo iudicii, ut per totum tempus litis pendentis ipsi liceat in loco iudicii & inter suos commorari, ut cum ipsis possit deliberare super innocentia suæ defensione; præstita tamen prius cautione, non juratoria quidem, sed pignoratitia: hinc est, quod dicitur plus cautionis esse in re, quam in f) persona, & melius, ut pignori incumbamus, quam agamus g) in personam: Vel etiam fidejussoria. Ubi tamen h) distinguendum, fidejussor utrum interveniat ad excusandam rei absentiam, an verò ad ipsius causæ merita deducenda, h. e. ad innocentiam defendendam; illic admittitur: hic refert, utrum delictum sit minus relegatione, quo casu etiam i) admittitur, an magis. Atq; hic iterum distinguendum, utrum illud sit in vulgus notum & rei copia haberi queat; quæ si adsint, non k) admittitur, quia non amplius agitur ad interesse pecuniarium, ad quod fidejussor solet admitti, nisi SALVUM CONDUCTUM petens alleget moderamen inculpatæ tutelæ, tunc enim admittendus uff ein wiederstellen / quoniam ibi causa criminalis transiit in civilem: Et, si reus ultimo termino, ubi corporis poena afflictiva dicitur, emanaverit, fidejussor promissam l) summam exsolvere tenetur: sin verò rei copia haberi nequeat, licet delictum deprehendatur notorium, tamen fidejussor ad causam pro delinquente orandam admitti non solet, propterea, quia absens non potest m) damnari.

11. Hæc vero, quæ diximus, corriguntur Jure Saxonico: Ibi enim: wer n) Eigens so viel hat, daß besser als ein Wehrgeld / darff keinen Bürgen setzen / ob man ihn umb Bürgerrechte beflaget: & alibi: Ob man gleich o) peinlich uff ihn klaget: Imò nec de necessitate SALVICONDUCTUS est cautio: ipsius enim rei essentiam non ingreditur, quamvis de stylo Curiarum exigatur.

12. Divisionem, ut iustâ procedamus methodò, excipit materia, quæ bimembris: in quâ videlicet & circa quâ: in quâ est subiectum in hæsiōnis QVOD vel QVO: Illud constituunt persona, quibus competit merum imperiū p), quod est potestas gladii q) ad animadvertendū in facinorosos: Nos vocamus idiomate materno: Die hohe Obrigkeit / daß hohe oder Hals-Verichte: die Blut-Dahn. Hic

Hic nonnulli existimant, in totum ab illo asserto divortium fecisse *Be-*
soldum, quando dixit: SALVICONDUCTUS concessionem nec
merito imperio, nec minima *ipsum* specie expediri. Sed minus con-
 venienter, quod satis ipsius loci, quem adduximus, inspectio o-
 stendit, & nosmetipsi in conflictu, ubi occasio tulerit, latius de-
 monstraturi sumus. Ceterum hic quaeritur, annon SALVICON-
 DUCTUS *Regale* possit dici? Neg. Sunt quidem nonnulli, quibus
 affirmativa arridet, sed omni ratione prorsus destituuntur, cum
 nullibi inter *Regalia* conspiciatur relatus *t*).

13. Antequam autem hinc abeamus, illud videtur prius expe-
 diendum, si in confinio duorum territoriorum contingat homi-
 cidium, cui facultas sit concessa reum extraneum eumque fugiti-
 vum impertiendi SALVOCONDUCTU? Resp. eam esse illius,
 cujus est de crimine cognoscere: Si autem quaeras, cujusnam sit
 cognitio de crimine perpetrato? Dicimus distinguendum esse,
 utrum rei copia haberi queat, an minus; Ubi ea adest, ipsi cog-
 nitionem deferimus, in cujus territorio invenitur *x*) occisi caput:
 si minus, si forsitan ad suos redierit, ibi competens forum erit de-
 linquentis, non vero ubi delictum commissum: Atque hinc illud
 fluit, Magistratum domicilii reo SALVUMCONDUCTUM con-
 cedere posse? quae *De*, sententia *y*) est passiva. Extra hosce ca-
 sus ipsius erit largiri SALVUMCONDUCTUM, in cujus territorio
z) reus reperitur.

14. Hoc verò (*subjectum QVO scilicet*) constituunt conventi &
 accusati omnes, proscripsi, banniti, adulteri, homicidae virginum-
 que raptores (quibus Glossa securitatem recusat *ob c. 7. Nov. 17.*
 quam tamen fortassis pravus intellectus *d. c. 7. Nov. 17.* fefellit):
 imò omnes, quos SALVUMCONDUCTUM impetrare posse
 novimus: novimus verò hoc posse, quos carceris, vinculorum aut
 aliud offensionis metusve periculum premit: Eum enim in finem
 Majores nostri securitatis cautionem excogitarunt, ut innocen-
 tes ea petita haberent, quò innocentiam suam deducere valerent.

15. Quod ipsum etiam de Jure Saxonico procedere *affirmat*
Land-Recht: Man *a*) soll ihm Friede wischen: *vel, uti habet formula*
Instrumenti Pactis; Wer sich einer Beschichtigung entreden wil, den sol
 der Richter dazzu verhalten.

s) Thef.
 Prae. lit. g.
 verb. Gloss.

t) arg. c. un.
 quae sint Reg.
 F. 2. tit. 56.

x) Cubach,
 cent. 1. dec. 6.
 9. 3. p. m. 137.
 arg. l. 44. ff.
 de relig. l. 17.
 C. de pen.
 y) l. 3. pr. C.
 ubi in rem
 act. l. 38. ff. de
 Jud.
 z) l. 1. l. 2. C.
 ubi de crim.

a) lib. 2. art.
 14. §. foisset

16. Ne autem rei ancipiti premantur periculò, nolint fidere disterio illi communi, cuius supra mentionem fecimus: Veritas bringet Glait mit sich; præsertim si citentur ad defensionem vitæ, & insimulentur criminis morte vindicandi; quippe non omni caret periculò ejusmodi cautio. Insuper etiam accedit, quod citatio ex sola citantis b) intentione æstimetur: Nam autem tantum esse, ut reus liberum accessum, non præsens etiã securitatem habeat, satis superq; liquet ex arg. l. 53. §. 1. & arg. l. 47. ff. de re jud. Nam si is hujus citationis effectus foret, ut præsens etiam securitate frueretur, quidni magis citationem in causa civili incarcerationis periculum tollere diceremus? vid. c) Bachov. Unde de facili colligere possumus rationem d) Coleri afferentis, se nemini fore autorem & svaforem, ut nudæ citationi fidat, nisi annexa fuerit securitatis cautio.

b) arg. l. 1. & l. f. C. de LL. & l. 9. ff. de præt. sup.

c) ad Tr. v. 1. d. 5. th. 6. L. d. in verb. citatos etiam ad aliam caus. civilem.

d) proc. exec. p. m. 706. p. 4. c. 1. n. 189. 190 e) d. l.

f) proc. d. 9. th. 2. n. 8. g) arg. l. 7. in med. fer. C. de nat. lib. & l. 17. §. 3. in fin. ff. com. mod.

i) l. 125. ff. de R. J. k) Nov. 17. c. 7.

17. Materia circa quam sunt omnes causæ, tam civiles, quam criminales: De civilibus, quas instituti nostri ratio silentiò involvere nos jubet, videatur e) Bachovius: De criminalibus autem f) Umnius.

18. Progredimur nunc ad causam impulsivam; pro quâ venditamus partim ipsam commiserationem, quæ Magistratum ad SALVUM CONDUCTUM communicandum, atq; communicatum iuste alendum impellit: Quippe post Deum Optimum Maximum nullus, quàm ipse, nobis magis est parentis loco: partim æquitatem; æquum enim est miseris g) beneficio recreari: Ipsa etiam caritas Christiana ex naturali illâ cognatione ortâ hoc præcipit, dum hominem, quocunq; modò legitime fieri possit, conferendum hominem, vari juberet: partim favorem Defensionis, ne reo, cuius partes i) alias sunt favorabiles, facultas docendi innocentiam præcidiatur: Nam ipse Sacratissimus noster Imperator Justinianus remedia defensionis injuriæ passis, minimè vero injuriâ inferentibus indulgit: partim justitiam ipsam, quæ periret impediret tertiò juris præceptò, quod suum cuique requirit tribuendum: Et partim denique preces reorum, qui carceris aut alterius offensionis vim metuunt; præsertim ubi cum superiori in jurgia & lites descenderint, aut Judex reo malè cupiat: Tunc enim caveant ne exceptionem opponant minus fortè gratam & idoneam, ne ju-

ne iudicentur) contumaces, aut in locum non tutum, ad quod nemo ipso iure tenetur m) ne sese conferant, sed SALVUM-
CONDUCTUM specialem. Ein freylicher Stat zu auesführung
gerühmter Buschuld petant, petitioniq; causam iusti timoris
subtexant, si carcerem, aut alios pœnarum gradus, declinare ve-
lint, & tùm demum citationi se profiteantur parituros. Quis e-
nim quæso ejus demeriti foret, ut locum non tutum appeteret,
in quo hostium sinu se exponeret, imò ad mortem ipsam ultrò se
offerret. Certè à talibus ipsa hominum natura abhorret.

19. Superest *causa finalis*, quæ hæc esse debet, ut reus possit li-
bero accessu & discessu frui: nequaqvam vero dolus. Adjuvari
quippe beneficio nos oportet, non decipi. Accedit, quod nemini
Principis beneficium debeat esse captiosum, nec in illius odium
strictorquendum, in cuius gratiam n) fuit concessum: Nam LL.
subdole delicta coerceri nolunt. Igitur ab hoc sine multum a-
berrant, qui sub SALVICONDUCTUS specie solam im-
primis ultionem sibi propositam habent, aut Imperii exercitium.
Regium sanè responsum Historici memorant à Francisco Gal-
lorum Rege datum fuisse illis, qui eum hortando concitabant,
ut Carolum V. neglectâ, quam ipsi dederat, fide captivum deti-
neret: Si fides, inquebat, totò terrarum orbe exularet, ea ta-
men Regibus servanda est, ut qui eâ solâ, nullò autem metu,
constringi possunt. Præterea hoc addimus, omne societatis &
commerciorum vinculum, quò ferè homines à brutis distin-
guuntur, dissolutum iri, si fides solvatur. Hinc Pythagoras te-
ste Aliano o) in hæc prorupit verba: Duo sunt hominibus data
longè pulcherrima, veritatem videlicet amplecti, & aliis benefa-
cere. Nec alia gravissimorum virorum testimonia nos defere-
rent, si ea compilare liberet.

20. Insuper etiam monendum, quod SALVUSCONDU-
CTUS dari possit sub conditione, modò atque in diem. Qui
modus tamen & conditio si deficiant, deficit item SALVUS-
CONDUCTUS: diem verò expectari necesse est, & intra
id præstituti temporis intervallum assecutus molestiâ affici non
debet.

21. Ad interpretationem quod spectat, dicimus, quod SAL-
VUS-

B

VUS-

arg. l. 1. §.
13. ff. ad S. C.
Turp. per l. 5.
ff. de pen. l.
53. ff. de re
Jud.
m) C. 4. ut
lit. non con-
test.

n) C. quod
ob grat. 61. de
R. J. in 6. d.
l. 17. §. 3. ff.
Commod.

o) lib. 22. c. 59.

p) arg. l. 6. §.
2. ff. de offic.
Præf. l. 2. §.
1. ff. si quis.
Caut. & l. 50.
ff. de V. O.

7) d. tr. q. 4.
p. m. 33.
7) Conf. 414.
l. 5.

Marg. l. 1. §.
2. & 3. ff. de
pactis.

2) Mynsing.
cent. 1. obs.
81.
3) art. 76.

4) art. 156.
5) Marg. l. 4. C.
de dignit. l.
4. C. de fi-
lentiis. lib.
12. l. 1. C. de
uxor. mil. l. 3.
§. 6. ff. de
pen. leg.
6) Grot. de J.
B. & P. l. 2.
c. 16. §. 13.
7) Conf. de
pace publ. de
Ao. 1521. Ja-
son. in l. 3. ff.
de J. & J. n.
28. Baldus in
Auch. Habi-
ta C. ne fil.
pro pat.

VIS CONDUCTUS sit bonæ fidei: Verba ejus, inquit 9)
Premus, sunt verba datæ fidei, & sapiunt naturam pacti: Testatur
etiam Baldus 7) in ejusmodi securitaribus considerandam esse
verborum formam, & nihilominus bonam fidem & mentem
tam agentis, quam patientis, qui videntur sentire, quod homi-
nes prudentes & viri boni sentiunt. Hinc eleganter colligit
Zafius, SALVUM CONDUCTUM ex fide consistere, &
ideo ex eâ ipsa esse nutriendum: Atq; si alius rem repetimus,
deprehendimus fermè eum sapere naturam 8) pacti publici.

22. Misisset ad effectus transmissas, quorum præcipuus est
ipsa securitas, quam libertatem ad judicium veniendi, indeque
recedendi, complecti Dd. uno quasi ore affirmant: Unde hæc
clausula SALVUM CONDUCTUM diplomati inferitur: *Zu
des maht sicher zu und abe Zuytchen.* Vbi notandum, istam secu-
ritatem concessam intelligi tantùm de violentiâ, quæ de fa-
& d) inferitur, non autem de vi, quæ justè inferitur: Nam contra
hanc concedi nequit. *Car. V. Ord. crim. (Es sol u) keine Parthey
noch Zeuge vor den Richter für Peinliche Rechtsfortgang verglattet
werden; aber für Gewalt mügen sie verglattet werth.* Et alibi
Und sol x) derselbe zum Rechten und für unrechter Gewalts / uno nicht
weiter / verglattet werden.

23. Cæterum anceps hæc emergit quæstio, utrum SALVUS
CONDUCTUS sit extendendus ad uxores, liberos, & comites?
Resp. de prioribus rem 7) esse claram: de posterioribus autem
non utiq; siquidem distingvendum inter comites tempore dati
salviconducti præsentibus 2) quibus merito SALVUM CONDUCTUM
concedendus, licet et 3) non ex primantur, (nisi sint banniti, aut
proscripti, aut violatores pacis publicæ) & inter futuros, quibus
tantùm optimò jure denegatur. (2) Inter impotentes & potentes, his
enim merito denegandus, cum ipsis minus potentes resistere
hequeant.

24. Præterea huc spectat *Imploratio officii Judicis*, ut cogat infi-
diantem, vel de vi suspectum, cavere reis de non offendendo,
quandoquidem reo, cui non solum de facultate veniendi, sed
& recedendi, facta est promissio, vis contra jus inferitur.

25. Ulterius huc quoq; referenda est *suspensio pœnæ*: Pœna e-
nim

him suspenditur SALVICONDUCTUS concessione,
non autem tollitur. Et sic constitutio *i)* de pace publica recte ait, *i)* d. R. J. de
concessione SALVICONDUCTUS suspendi bannum, quæ A. O. 1527.

si nunquam irrogatum fuisset. Inde Dd. eliciunt, eum, qui occi-
dit bannitum SALVOCONDUCTU munitum, quem aliàs e-
medio tollere licebat, capite esse plectendum, tanquam non
bannitum interemisset, nisi forsitan SALVUMCONDUCTUM *b) l. 1. S. Aff.*
ignoraverit. Sicuti enim interposita Appellatione, quippe quæ
in rem iudicatam sententiam transire non sinit, nil *b)* debet inno-
vari; Ita quoque securitate datâ *secundum Jus Sax. ubi:* Kommen
sic dam nicht / so sei man ihnen *c)* Friede wircken / nihil innovan-
dum. *nov. appell.*
inter pos.

26. His etiam ascribimus *asscurati non comparentis declara-*
tionem pro contumace. Reus enim comparere tenetur, quoties
SALVUMCONDUCTUM, secundum requisita ex antecedenti-
bus collectu facilia compilatum, impetravit. Si vero detre-
cet aut eum petere, aut suò petitiò iudicium eludere studeat, tunc
exercenda veniunt ea, quæ supra *b. n.* circa lit. d. attulimus, nisi
obstent de Jure Sax: quatuor *d)* illa summa ac legitima impedi-
menta, vulgò: Ehehaffte / Achte / Noth / und hülffliche Wiederre-
de; cuiusmodi sunt: Nuptiæ, carceres, peregrinationes in loca
extranea, morbi, & servitia S. S. Rom. Imperio prestanda: qui-
bus subjungimus iudicis inimicitias cum tyrannide conjunctas:
Qui enim fidem non dedit infidis, uti loqui amat Livius, magis
prudens, quam inobediens, fuit. Nec urget, quod Canonistæ
e) monent, securitatibus ejusmodi non facile esse credendum, pro-
pter commune illud dixerim: Extra carceres commodius pa-
ciscimur; qui error secundum Premum exinde ortus est, quod
iudicibus nonnulli felicissimi perfidiæ magistri, quibus nec ara
nec fides curæ, persvaserant, ipsis liberum esse fidem à se datam
aut servare, aut violare: quod tamen ut aliàs alienum à quovis
hominum; Ita multò magis à virò bonò.

27. Penam violentium SALVUMCONDUCTUM quod con-
cernit, eam nonnulli Dd. gladii esse volunt, si fuerit con-
cessus à Principe, autumantes id delictum crimini læsæ Majesta-
tis non ab simile. Aliud visum Fachinò *f)* distingventi, utrum
delin- *f) lib. 9. con-*
trov. c. 460.

delinquens violaverit assecuratam in contemptum Principis, an ve-
ro minus: Priori casu delinquentem arbitratur incurrere in er-
rorem laesa Majestatis: posteriori autem non item. Quod ipsi tamē
defendendum relinquimus. Ceterum jus Saxonicum indistincte

g) Landr. lib.
2. art. 3. S.
die einē Mañ
schlagen.

h) lib. 2. art.
4. lit. B.
i) proc. exe-
cut. d. l. p. c.
& n.

k) Discurs.
ad A. B. tit. r.
6. 18. in fin.
l.) per l. 1. ff.
de off. &
expil. l. 13. &
41. ff. de poen.

m) per F. 2.
tit. 27. §. si
quis homi-
nem. De pac.
ten.

n) arg. l. 2. §.
16. ff. ne
quid in loc.
publ. arg. l.
2. C. de prec.
Imp. off.

o) l. 13. pr. ff.
de min.

p) l. 47. ff. de
re jud.

q) l. 7. in fin.
ff. de pact.

r) C. Privile-
gium. 7. de
R. 7. in 6.

sive à superiori, sive ab inferiori fuerit concessus, violatoribus irro-
gare g) poenam gladii, in verbis: Die den Frieden brechen, denen sol-
man den Kopff abschlagē, quidā contendunt; quod etiā in praxi ob-
servari h) attestatur Additionator: de quo tamen valdē dubitat
i) Colerus, cum hoc nimis sit rigorosum ac iniquam, nec ratio
diversitatis, ob quam aliud Jure Saxonico, quam cummuoi sta-
tutum esse debeat, reperitur. Meritō igitur hīscē in casibus jus
commune Saxonico præferendum asserit k) Arumæus: Illud
autem, velut putamus, poenam hanc statuit esse arbitriam l)
nisi alia LL. demonstraretur statuta. Et licet etiam interdum eò
casu delinquentis ultimò possit affici supplicio; magis tamen illud
ex L. C. de ficiariis, quàm ex L. J. Majestatis, fieri m) vero simi-
le videtur.

28. Superest adhuc, ut de SALVICONDUCTUS duratio-
ne seu vitæ agamus; de ea autem sic habendum: Licet, qui con-
cessit, vitam cum morte mutet, aut ab officio removeatur, com-
tamen perpetuo durare, quia non à personâ, sed à judicio censetur
concessus. arg. Nov. 134. c. 6. l. 76. ff. de jud. Deniq; huc quoq; il-
lud quidam referunt, ut nullius cum injuria, aut damno sit n) con-
junctus. Si itaq; aut petatur, aut, si rei nulla plene copia haberi
queat, concedi placeat, utraq; pars citari debet: Atq; hoc i-
psum est, ob quod publica pacis constitutio hīc causâ cogni-
tionem præsupponat, ad quam partium citatione o) opus est.
Per quemcumq; enim actum judicarium læsio partis contingit,
ad eundem quemq; eorum, qui lædi possunt, propter suam int-
erese, iudex citare debet p): Si autem quidam detrescent in
SALVUMCONDUCTUM elargiendam consentire; sufficiet
majoris partis q) suffragium.

29. Videamus etiam de SALVICONDUCTUS contrariis
quorum primum est mors naturalis, quæ ut omnia; ita & SAL-
VUMCONDUCTUM dissolvit. Est enim iste privilegium per-
sonale, quod personam sequitur, & cum ipsa iterum r) extin-
gitur.

30. Hinc

30. Hinc proximum est novum delictum pendente securitate
superveniens; si ipse assicuratus offendat aut adversarium; aut alios, & si ratione sui violet SALVUMCONDUCTUM. Frangenti enim fidem, eadem si frangenda est secundum illud Ovidii

Judice me fraus est concessa repellere fraudem;

Armaq; in armatos sumere jura siviunt.

Atq; hoc ipsum etiam satis arguit formula concessionis: Concedimus tibi pacem contra vim injustam, ita tamen, ut pacificum quoq; te geras: Quæ clausula intelligenda non de delictis futuris, sed præteritis tantum; dolus siquidem & delictum in præteritum possunt remitti, in futurum non utiq;. Qualis igitur, quæso, injuria, ut, ubi assicuratus contra fidem, ad quam naturali æquitate tenebatur, se de novo hostem exhibuerit, tanquam hostis *u*) capiatur, atq; ad supplicium rapiatur? Locum tamen non habent dicta, ubi delictum noviter à reo ob sui defensionem perpetratum fuit; tunc enim non meretur penam, si verus fuerit in moderamine inculpatae *x*) tutelæ; cum, quod tunc fecit, jure fecisse *y*) existimetur.

31. Hoc excipit *juris executio*: Si quando reo per sententiam judicis tortura, vel alia pœna corporis afflictiva dictatur, tunc enim cessat SALVUSCONDUCTUS & reus *z*) mancipatur carceri.

32. Ulterius huc referimus *propriam confessionem*: si reus ipse rei veritatem aperiat, quo casu confessus *a*) habetur pro judicato.

33. In contrariorum classem etiam reponimus *fugam*; impleta enim concessio tacitam in se continet conditionem, nisi assicuratus novæ offensionis causam præbeat; cum, reus si eam suæ vitæ consulere voluerit, criminis admisi *b*) indicium præbeat.

34. Ultimam locum sibi vindicat *præjudicium superioris*; cum superior non obligetur sponsione inferioris: Nec ratum hoc casu quis habere tenetur quod suo nomine *c*) gestum non est. Quicquid enim ab initio non fuit *d*) validum, nullo unquam temporis tractu potest convalescere.

35. Coronidis loco apponimus *affinita*: Sunt autem ea [] Privilegia

B 3

arg. l. 14.
 C. de trans-
 act. & cap. 38
 de R. l. in 6.

u) arg l. 41.
 C. de trans-
 act. arg. l. 1.
 C. de LL.
 x) l. 2. 3. 4.
 C. ad. L. C.
 defic. l. 1. C.
 unde vi.
 y) l. 3. ff. de J.
 & J. l. 45. §.
 4. ff. ad L. A.
 z) Car. V.
 crim. art. 36.
 & 156.
 a) l. 1. ff. de
 confess.

b) Car. V.
 crim. art. 25.
 c) C. ratum.
 9. de R. J. in 6.
 d) l. 29. ff.
 eod.

privilegia via regalis, ubi omnes communis societatis participes
tuti sunt relinquendi, adeo, ut spoliati territoriales Dominos
de damno refartiendo, seu ut, Itatorum illud sonat, de robo-
ria; convenire possint, modo tamen non à via regali deflexerint
aut Gverra publica, veletiam nimia prædonum copia adfit.

36. [2] *Rescripta moratoria*, vulgò *Esserne Bresse* / quæ debi-
toribus adversâ fortunâ ad paupertatem & inopiam redactis, &
debiti causâ vexaris, à Principe, vel ipsi creditoribus omnibus,
aut majori eorum parte, conceduntur, ut debitores durante illo
beneficio ad aliquam fortunam iterum pervenire, adeoq; credi-
toribus satis facere possint.

37. [3] *Inducia seu Treuga inter hostes recepta*: Cum in breve
& præses tempus convenitur, ne se e) invicem lacesant. Eas ip[s]as
tamen facta privata non rumpunt, nisi accedat f) actus publi-
cus.

38. [4] *Commeatus*, qui est privilegium quoddam extra indu-
cias commeandi. Quare in ejus interpretatione ea potissimum
tenenda, quæ de privilegiis traduntur. Est autem hoc privile-
gium neq; danti admodum grave, neq; tertio noxium: Ideo-
que intra verborum proprietatem laxa magis, quam stricta ad-
mittenda erit interpretatio, eoque magis, si alicui hoc benefi-
cium ultrò g) oblatum fuerit.

39. [5] *Asylum*, quod est locus refugii; immunitatem contra
vim injustam pollicens. Sicuri Gentibus erant; Luci, fana, arx,
sepulcra; nec non montes, imagines, & Statuæ b) Cæsarum. Ut
taceamus, quod quædam d) monasteria, imò ipsæ k) Ecclesiæ a-
sylorum gaudeant privilegio. Ex quibus tamen facinorosos ab-
latos ad supplicium trahi posse, nil est, quod obster. Nam be-
neficia sunt constituta injuriam l) passis; inter quos facinorosos
quis referret?

40. [6] *Cautio de non offendendo*, quâ securitas petitur à par-
te, quæ necem fortè, aut arma fuit minata. Non autem nudâ pro-
missione ea expeditur, ut SALVUSCONDUCTUS, sed fide-
iustoribus, aut præstita cautione juratoria, videlicet caventem
vel per se, vel per alios, nihil de facto attentaturum, sed jus suum
prosecuturum, & sententiâ super eò larâ m) fore contentum.

41. [7]

d) l. 19. §. 1.
fr. de capt. &
postl.
f.) Grot. de J.
B. & P. lib.
3. c. 1.

g) Grot. d.
tr. lib. 3. c. 21.
§. 14. & lib.
2. c. 21.
h) Alex. a b
Alex. gen.
dier. l. 3. c. 20.
i) arg. l. 5. C.
de his, qui ad
Ecclef. l. 4.
C. Theod.
cod.

k) t. r. C. de
his, qui ad Ec-
cles.
l) Nov. 17.
c. 7.
m) Hering, de
fidei. c. 18. n.
49.

41. [7] His etiam addi solent *inducia*, quæ condemnatis ex
merâ commiseratione jure speciali indulgentur. Hæ de Jure
civilis ad quatuor ²⁾ menses extendi debere videntur: Jure vero
Saxonum condemnatis ad rem restituerdam quatuordecim ²⁾
dies concedi solent: in personalibus autem sex ²⁾ septimana &
3. dies: Germ: Eine Sächsishe Wiff.

42. Deniq; extreme loco hæc à nonnullis relatum, conspici-
mus *Jus Patronatus seu protectionem*, quæ Ecclesiâ, Princeps, co-
mes, civitas, aut alia universitas superiorem recognoscens, in-
terim tamen liberam administrationem habens, se una cum suis
alicujus potentioris committit tutelæ & patrocinio, idq; vel
gratis, vel certò annuò constituto solario, salva potestate pristi-
nâ, jurisdictione & libertate, quia exinde ipsius subditi non e-
vadant, sed solummodo clientes, Schutz und Schirmes verwandte;
Atq; inde deductum est vulgatum illud: Schutz und Schirm giebt
fein; ²⁾ Obriegkeit.

²⁾ l. 21. ff. de
judic. l. 2. & 3.
C. de usur rei
judic. add. 7.
Eccl. 5. C. 21
& Socin. reg.

396.
²⁾ Ehurst. N.
P. O. c. 39. S.
nemlichen.
²⁾ d. Ehurst.
N. P. O. c.
39. §. wenn
aber.

²⁾ plura de-
hiscæ vide a-
pud Gailium
2. obs. 54. n.
1. 2. & 3.

COROLLARIA.

1. Formalis ratio domini est proprietas.
2. Consensus non est forma nuptiarum.
3. Minus rectè nonnulli asserunt, creditori, ubi de
pignore non distrahendo inter ipsum & debito-
rem convenit, non esse necessarium post trinam
denunciationem expectare, ut biennium fuerit
elapsum, si pignus distrahere velit.
4. Testamentum mysticum fœminis nunquam fuit in
usu.
5. Imaginaria liberorum venditio vera fuit servitus.
6. Exæquationis omnimodæ Legatorum cum fidei-
commisitis autor est Justinianus.
7. Non omnis actio præscriptis verbis b. f. est.
8. Actio finium regundorum neq; b. f. est, neq; stricti
Juris.

9. Pacta

9. Pacta contractibus in continenti adjecta eandem, quam ipse contractus, actionem producant.
10. Impensæ necessariæ omnino aliquâ actione peti possunt.
11. Omnis Justitiæ definitio in juribus nostris allata de universali accipiendâ est.
12. Condictio furtiva non oritur ex delicto.
13. Possessio est jus in re producens actionem realem, quæ Publiciana vocatur.
14. Filius familiæ de peculio adventitio irregulari quovis modo disponere potest.
15. Æquius est statuerè, quod etiam monstra matribus ad jura liberorum prodesse debeant.

TANTUM HAC VICE LICUIT:
MELIORA MELIORES. GLO-
RIA TRINUNI.






ULB Halle
005 803 373

3



KD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

CTA TRIADE
fici Jctorum Or-
ilurea
Juridicam

CON-

U

lait

DIO
CONSULTISSIMI

CI ROMANI
Holpitis ac Ever-
di, devenerandi

LM Stolz/
or
ne Opime Maxima
exerim dicitur
r.

m Petrino.

Æ,
MICHAELIS.

1668/75 24 St.
1675, 20
[1665]